



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

16. Tres in stabulo Jesus, Maria, Joseph, quid allegoricè significant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 14.

*In memoriam dietæ triplicis nativitatis, nox quæ Christus natus, tribus Missis illustratur ex statuto Eccles.*

**N**Ox erat, at Phœbi longè fulgentior orbe,  
Quâ nostro Verbum naescitur orbe Patris.  
Nox quæ cœlitum micat illustrata phalange,  
Quâ resonat cœlo gloria, pax què solo.  
Hac merito Triadi ternis altaria fumant  
Thuribus, omnigenâ quæ veneranda tribu est.

## SYMBOLUM 15.

*Tres Pastores Christum natum venerantur in stabulo.*

**P**astores adeunt monitis cœlestibus acti  
Natūm, qui proprio sanguine pascet oves.  
Pastor is est mundi, qui candida pascitur inter  
Lilia, quem niveo nectare mater alit.  
Tres Verbum in stabulo venerantur ab æthere missum  
Pastores; Triadi quām placet ista trias!

Nota. Locus Nativitatis Christi, magnificentissimâ Basilicâ, everfo  
Adonide, a S. Helenâ est exornatus; & tot ornamenti a Constantino con-  
decoratus, ut mundi miraculum esset.

## SYMBOLUM 16.

*Tres in stabulo Bethlemitico inveniuntur  
JESUS, MARIA, JOSEPH.*

**P**astores tres ad triadem venere colendam,  
Quam dederat terris, quæ rotat astra, Trias.

Poplite curvato Matrem inter, & inter Joseph  
Pastorum est pietas ter venerata Deum.  
O Bethleem felix ! in ccelum [a] verteris, in te  
Æmula cœlesti cernitur ecce trias.

(a) S. Bern. serm. 1. vig. Nat.

*alleg.* Bethleem est templum, præsepe altare, Christus hostia, panni & fasciæ corporale, Deipara sacerdos, Joseph & pastores Christiani astantes.

### S Y M B O L U M 17.

*Tres ijdem fugiunt in Aegyptum*

**N**on fugit Herodis Jesus formidine, verùm  
Motus honore Patris, tactus amore mei.  
Mox ubi Niliacas Regum Rex attigit oras,  
Falsorum pulsa est im pia turba Deum.  
Hæc humana trias divine instaurat honores,  
Nos decet & falsis vertere terga Deis.

### S Y M B O L U M 18.

*Trium Magorum tria munera. Matth. 2.*

**R**egia majestas Æois excita terris  
(a) Ter gemino Triadis munere signa refert.  
Supremus Genitor fulvo præfulget in auro,  
Est incarnato debita myrrha Deo.  
Ignibus injectum gratos thus fundit odores,  
Hujus odore fragrat Flamen, amore flagrat.

[a] Sic quasi trium munerum Trinitatis perfecta confessio, credatur a nobis una Divinitas sine confusionis separatione distincta, Pater & Filius & Spiritus S. unus Deus: credantur tres persona, sed non tres substantiae. Quantum autem ad cœlestis naturæ ordinem pertinet, in Patre & Filio, & Spiritu sancto ita confitenda est unia divinitas, ut nec singularis putetur in Trinitate persona, nec triplices in Unitate substantia, sed ita asigneretur pluralitas Unitati, ne Trinitati subtrahatur equalitas. S. Aug. serm. 39. de temp. alias tom. 10. fol. 135.